

Cap. XII. Ut ieiunia quadragesimalia et ieiunium rogationum¹ et ieiunium vigiliae Pentecostes et ieiunia IIII^{or} temporum nullo modo dissolvantur. Sic enim scriptum est in XVIII. cap. Gangrensis^a concilii: 'Si² quis absque necessitate corporea tradita in commune ieiunia et ab ecclesia custodita dissolverit, anathema sit'. (fol. 132).

Cap. XIII. Ut in quadragesima nuptias fieri non permittant. Ceteris vero temporibus, quando aliquis deliberat uxorem accipere, convocet sacerdos iudicem eiusdem loci ac reliquos homines veridicos et maiores natu et inquirat per eos diligenter, si forte sibi aliqua carnis propinquitatem iungantur an non. Quodsi nulla carnis afinitate copulantur, tunc cum benedictione sacerdotis accipiat homo uxorem de populo Dei, non libidinis ardore, sed amore filiorum. Dicit enim sanctus Gregorius papa in decretis suis cap. VIII: 'Si³ quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit duxerit uxorem, anathema sit'.

Cap. XIII. Sciant etiam sacerdotes, quia in unaquaque ecclesia tam de redditu, id est fructu, quam de oblationibus fidelium quattuor debent fieri portiones, quarum sit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis ecclesiae deputetur; quod ita in decretis papae Gelasii⁴ XXVII. cap. legimus institutum. Volumus vero unumquemque presbiterum erga suam ecclesiam ita esse studiosum, ut per singulos annos nobis vel missis nostris possint ostendere quid in ea restauraverint vel quid (fol. 132') in ornamentis ecclesiasticis elaboraverint. In pauperum quoque elemosinis unusquisque secundum possibilitatem suam largus existat, ut in omnibus glorificetur Deus.

Cap. XV. De dote ecclesiae, id est de XII bunuariis et quattuor mancipiis, nullus presbiter seniori suo census reddat. Obsequium vero spontaneum et eulogias secundum suam possibilitatem ei^b impendere non prohibemus.

Cap. XVI. Ut presbiteri domos suas semper nitidas habeant et sine fetoribus; ut ospitales esse meminerint.

Cap. XVII. Ut presbiteri vel clerici in tabernis nullo modo comedant^c vel bibant et ut in nominibus sanctorum nullas praecationes^d bibendi exerceant nec alios exercere permittant.

a) Gangrensis c. b) eis c. c) comedent c. d) Vgl. oben c. 9.

1) Rogationes sind die ersten drei Tage der fünften Woche nach Ostern. 2) Mansi II, 1108. 3) Concilium Romanum 721 c. 9; Mansi XII, 263. 4) Mansi VIII, 45.